

pecuniam, perdit animam suam. *Quid vero prodest homini, si totum mundum lucretur, anime vero sue detrimentum patiatur?* Qui autem dat pecuniam pro ordinibus episcopo, quid sumit ab episcopo? Leporam inquit non gratiam, maledictionem inquit non benedictionem. Item: quando symoniacus dicit ad populum: 'pax vobis', quod habet dare potest, hoc est dampnationem quam habet, benedictionem et gratiam Dei dare eis non potest, quia non habet. Qui enim dat pecuniam pro ordinibus episcopo, quia pro gratia Dei nichil dat Deo, utique nil sumit vel accipit a Deo. Vtique his verbis beatus Ambrosius plane ostendit, quia symoniacus nil accipit, nil tradit.

9 Leo papa in decretis suis inter alia sic ait: *Vnde cum sepe questio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam ab istis essetribuendum, quod non eis docetur fuisse collatum?*¹ His quoque verbis ostenditur, quia nichil confertur symoniaco, nichil tribuitur a symoniaco. Uterque enim appellatur symoniacus, et qui dat pecuniam et qui accipit pecuniam pro sacris ordinibus.

10 Innocentius papa hec ita dicit: *Adquiescimus et verum est: certe, quia, quod non habuit symoniacus, dare non potuit et nichil in dante erat, quod posset accipere qui emebat. Dampnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit. Et qui particeps factus est dampnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.*² *Ad summam: Certe qui nichil a Bonoso^a acceperunt, rei sunt usurpate dignitatis, qui conficiendorum sacramentorum sibi vindicaverunt auctoritatem atque id se putaverunt esse, quod nulla eis fuerat regulari ratione concessum.*³

11 Id attestari et contestando astipulari videntur quamplurime aliorum quoque patrum in canonibus et in decretis sententiae. Si igitur nil tradit, qui sacros ordines vendit, nil accipit, qui sacros ordines emit. Quid refert inter symoniacum et aliquem sine ordinibus laicum quantum ad altaris officium? Nec ille nec iste quicquam habet, quia non accepit.^b Vnde apostolus Paulus ait: *quid enim habes, quod non accepisti?*⁴ Ut ergo per partes

^a) a bono se ^b) accipit

¹) Leo I. ad Rusticum Narbon. § 1 JK. 544, Pseudoisid. ed. HINSCHIUS p. 616. ²) Innoc. I Ep. XLVIII ad Rufum et Eusebium (JK. 303) § 3, Pseudoisid. ed. HINSCHIUS p. 550. ³) Ibid. § 5 p. 551. ⁴) 1. Cor. 4, 7.